



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Liber IV. Perstringit novem Annos vitæ suæ, quibus ab anno XIX, usque ad XXVIII, Rhetoricam docuit concubinæ amoribus implicitus, & Astrologiæ genethliacæ deditus. Deplorat deinde immoderatum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

Matt. 7, 7,
& 8.

rent: & vel nolentem salvum esse velint, imo cogant. Multi propriis sceleribus perirent, qui alienis precibus servantur. Ita S. Augustinus matri oranti & lachrymanti salutem suam acceptam retulit. Nam cum Deus promiserit exauditionem orationi ritè susceptæ, obstringitur quodammodo ad faciendum, quod petitur, pro quocunque petatur. Hanc enim provisionem non ad solam orantis personam, sed & eos quoque, pro quibus oramus, extendi tenet Suar. t. 2, de relig. l. 1, c. 27.

LIBER IV.

Perstringit novem Annos vitæ suæ, quibus ab anno XIX, usque ad XXVIII, Rhetoricam docuit concubinæ amoribus implicitus, & Astrologiæ genethliacæ deditus. Deplorat deinde immoderatarum dolorem, ex amici morte conceptum, ac optimi ingenii prævium usum.

C A P. I.

Novem annorum spatio seducebat & seducebatur, per superbiam & heresin.

I. **P**er idem tempus annorum novem, ab undevicesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetricesimum, seducebatur & seducebamur: falsi atque fallentes in variis cupiditatibus, & palam per doctrinas, quas

quas liberales vocant, occulte autem falso nomine religionis. Hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani, ac popularis gloriæ sectantes inanitatem, *a* usque ad theatricos plausus & contentiosa certamina, & agonem coronarum scœnearum, & spectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum, illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes, cum eis, qui appellantur electi & sancti, afferremus escas, de quibus nobis *b* in officina aqualiculi sui fabricarent, angelos & deos, per quos liberaremur. Et sectabar ista, atque faciebam cum amicis meis, per me, ac mecum deceptis.

2. Irrideant me arrogantes, & nondum salubriter prostrati & elisi à te Deus meus: ego tamen confiteor tibi dedecora mea, in laude tua. Sine me obsecro, & da mihi circumcurre præsentì memoria, præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi *hostiam jubilationis*. Quid enim ego sum mihi sine te, *Pl. 26.6.* nisi dux in præceptis? aut quid sum, cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum: aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Et quis homo est quilibet homo, cum sit homo? Sed irrideant nos fortes, & potentes: nos autem infirmi & inopes, confiteamur tibi.

NOTÆ.

- a* *Vsque ad theatricos plausus*) Augustinus veræ gloriæ nondum appetens, vanam sectabatur in theatro carmina recitando, & coronas victoriæ testes ambiendo. Eas scœneas appellat per contemptum, non quod è scœno essent: sed quia gramen, flores, folia, unde texebantur, in scœnum mox abeunt, & exarescunt.
- b* *In officina aqualiculi sui, &c.*) significat se eos annos inter Manichæorum auditores perseverasse,

lib. 3. c. 10

& ut purgaretur à suis vitiis, cibos electis attulisse, juxta dicta supra, in quorum ventre (quem aqualiculum contemptim vocat) credebat solvi particulas divinæ substantiæ, & Deos sibi fabricari, quorum opo liberaretur. Senserunt enim, particulas divinæ substantiæ, quas fingeant in cibo & potu, aliisque rebus permixtas teneri, esse partim Angelos, partim animas humanas.

V S V S.

1. Ex memoria peccatorum exurgit in laudem Dei, conscius infirmitatis humanæ, ejusque consideratione superbiam nostram elidit: *Quid enim est sibi homo, sine Deo, nisi Dux in præceptis & in profundum, tum peccati, tum inferni?*
2. Non solum malum non vitat homo, nisi Deo duce, sed nec bene est ipsi, nisi cum fugit lac divinum percipiendo consolationes licitas in creaturis: aut cum fruitur Deo suo tanquam cibo incorruptibili, ipsi per meditationem & amorem inhærendo, & faciendo voluntatem patris sui, qui sibus Christi quoque fuit.

Ioh. 4. 34.

C A P. II.

Rhetoricam se illis annis docuisse & illegitimo thoro usum: noluisse vero, ut aruspex pro victoria sua in theatro sacrificaret.

1. **D**ocebam illis in annis artem rhetoricam, & a victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen Domine, tu scis, bonos habere discipulos, sicut appellantur boni, & eos sine dolo, docebam dolos: non quibus contra caput innocentis agerent, sed aliquando pro capite nocentis. Et tu Deus vidisti de longinquo lapsantem in lubrico, & in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanita-

vanitatem, & *querentibus mendacium*, socius Pfal. 1.3.
eorum. In illis annis unam habebam, non
eo, quod legitimum vocatur, conjugio co-
gnitam: sed quam indagaverat vagus ardor
inops prudentiæ, sed unam tamen, ei quo-
que servans thori fidem: in qua sane expe-
rirer exemplo meo, quid distaret inter con-
jugalis placiti modum, quod foederatum ef-
set generandi gratia, & pactum libidinosi
amoris: ubi proles etiam contra votum na-
scitur, quamvis jam nata cogat se diligi.

2. Recolo etiam, cum mihi theatrici car-
minis certamen inire placuisset, mandasse
mihi, nescio quem aruspicem, quid ei dare
mercedis vellem, ut vincerem: me autem
foeda illa sacramenta detestatum & abomi-
natum respondi: nec si corona illa esset
immortaliter aurea, muscam pro victoria
necari me sinere. Necaturus enim erat ille
in sacrificiis suis animantia, & illis honori-
bus invitaturus mihi suffragatura dæmonia
videbatur. Sed hoc quoque malum, *b* non
ex tua castitate repudiavi, Deus cordis mei.
Non enim amare te noveram, qui nisi ful-
gores corporeos cogitare non noveram. Ta-
libus enim figmentis suspirans anima, non-
Pf. 72, 27.
Ose. 12, 1.
*ne fornicatur abs te, & fidit in falsis, & pascit
ventos?* Sed videlicet sacrificari pro me nol-
lem dæmonibus, quibus me illa superstitio-
ne ipse sacrificabam. Quid est enim aliud
ventos pascere, quam ipsos pascere: hoc est,
errando, eis esse voluptati atque derisui?

N O T Æ.

- 1 *Victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam)*
eloquentiam notat, cujus loquacitas merito dam-
nanda est, nisi ad Dei honorem referatur, & sa-

Iudem aliis persuadendam. Ait autem S. D. se Rhetoricam *vendidisse*, quia pro mercede & salario docebat: unde sæpius se, & alios conductivos Professores verborum *venditores*, discipulos vero *empiores* vocat.

b *Non ex tua castitate*) alii legunt *non ex tua caritate*, fortassis rectius, ut suadent verba sequentia: *non enim amare te noveram*; quia tamen vera religio est quædam castitas animæ, amplectentis verum Deum sponsum suum, prior quoque lectio ferri potest: ut sensus sit, se non ex vera religione sacrificium aruspicias rejecisse, sed eo potius errore, quo vetabantur Manichæi ullum animal occidere, *ne offenderent principes tenebrarum*, à quibus omnem carnem dicebant originem trahere, teste S. D.

hæresi 46.
ad Quod-
vult
Deum.

V S V S.

1. Elucet bona indoles in Augustino quantumvis impio; hæc illum incitabat, ut discipulos bonos sibi & aliis facere studeret; deinde, ut fidem thori servaret etiam concubinæ. Unde apparet eum natura ad benefaciendum aliis, & fidem servandam propensum fuisse. Sine qua indole qui impii sunt, vix ullam emendationis spem faciunt: malignus enim animus, & perfidus, bonorum admonitionibus non movetur, nec divinis inspirationibus facile mollitur.

C A P. III.

Ab astrologorum & genethliacorum divinationibus, se nec à Vindiciano, nec à Nebridio advocari potuisse.

1. **I** Deo illos planetarios, a quos mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi eis nullum esset sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum, ob divinationem dirigerentur, quod tamen christiana & vera pietas, consequenter re-

ter repellit & damnat. *Bonum est enim confiteri tibi Domine & dicere, Miserere mei, cura animam meam, quoniam peccavi tibi; neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse dominicæ vocis: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Quam totam illi salubritatem interficere conantur, cum dicunt: de cœlo tibi est inevitabilis causa peccandi, & : Venus hoc fecit aut Saturnus, aut Mars: scilicet, ut homo sine culpa sit caro & sanguis, & superba putredo: culpandus sit autem cœli ac siderum creator & ordinator. Et quis est hic, nisi Deus noster, suavitas & origo justitiæ, qui reddes unicuique secundum opera ejus, & contritum & humiliatum non spernis?

Ps. 91, 2.

Ps. 40, 5.

Io. 5, 14.

Mat. 16, 9.

Ps. 50, 19.

2. Erat eo tempore *b* vir sagax medicinæ artis peritissimus, atque in ea nobilissimus; qui proconsul, è manu sua *c* coronam illam agonisticam imposuerat non sano capiti meo, sed non ut medicus. Nam illius morbi tu sanator, qui *resistis superbis, humilibus autem das gratiam*. Nunquid tamen etiam per illum senem defuisti mihi, aut destitisti me-deri animæ meæ? Quia enim factus ei eram familiarior, & ejus sermonibus (erant enim sine verborum cultu, vivacitate sententiarum jocundi, & graves) assiduus & fixus inhærebam: ubi cognovit ex colloquio meo libris genethliacorum esse me deditum, benigne & paterne monuit, ut eos abjicerem: neque curam & operam rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem: dicens ita se illa didicisse, ut ejus professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret: & si Hippocratem

Iac. 4, 6.

1 Petr. 5, 5.

intellexisset, & illas utique literas potuisset intelligere: & tamen non ob aliam causam postea illis relictis medicinam affecutum, nisi quod eas falsissimas comperisset, & nollet vir gravis decipiendis hominibus victum quærere. At tu, inquit, quo te in hominibus sustentas, Rhetoricam tenes: hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris; quo magis mihi te oportet de illa credere: qui eam tam perfecte discere elaboravi, quam ex ea sola vivere volui.

3. A quo ego cum quæsissem, quæ ergo causa faceret, ut multa inde vera pronunciantur? Respondit ille, ut potuit, *d* vim fortis hoc facere in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim de paginis poëtæ cuiuspiam longe aliud canentis, atque intendentis, cum forte quis consuluit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret: mirandum non esse dicebat, si ex anima humana superiore aliquo instinctu, nesciente quid in se fieret *e* non arte sed sorte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret. Et hoc quidem ab illo, vel per illum procurasti mihi: & quid ipse postea per meipsum quærerem, in memoria mea delineasti. Tunc autem nec ipse, nec carissimus meus Nebridius, adolescens valde bonus, & valde cautus, irridens totum illud divinationis genus, persuadere mihi poterunt, ut hæc abjicerem; quoniam me amplius ipsorum autorum movebat autoritas: & nullum certum, quale quærebam, documentum adhuc inveneram, quo mihi sine ambiguitate appareret, quæ ab eis consultis
vera

vera dicerentur, forte non arte inspectorum siderum dici.

NOTÆ.

- a Quos Mathematicos vocant) intelligit eos, qui ex astris de moribus & factis hominum certa prædicere laborant, & ex situ cæli quem sidera obtinent, cum infans nascitur, ejus fortunam prosperam, sive adversam, vitia & virtutes, item mortem, non minus vane quam impie vaticinantur. Quos alio nomine appellamus *genethliacos*, quia observant sidera natalitia, item *Astrologos judicarios*, & *Planetarios*, quia ex astris judicium ferunt de futuris. Contra quos S. D. in lib. 7. c. 6. fra, & lib. 5. de civ. Dei, ac alibi luculenter differit. Damnantur una cum suis libris in jure Canonico, cap. 2. de *sortileg.* in Concil. Trident. *Indice libr. prohib. reg. 9.* item peculiari Bulla Sixti IV. contra *Astrologos*. Item in jure Civili, ubi *malefici & Mathematici* conjunguntur. Nostra 1.9. Cod. 18. autem ætate Mathematicorum nomen absolute positum significat *Arithmeticæ, Geometriæ, Astrologiæ licitæ peritos & studiosos*, quæ disciplinæ jam olim ab antiquis dicebantur *Mathematicæ*.
- b *Vir sagax, & medicina artis peritissimus*) ejus nomen inf. exprimit, & *Vindicianum* appellat, lib. 7. c. 5. ideoque in capitis summano id expressi.
- c *Coronam illam agonisticam*) quam certaminis theatrici & poëtici victoria promeritus erat. Eam illi *Vindicianus* proconsul amoris & honoris, imo & moris ergo imposuit. Vocat *agonisticam*, quia ἀγων græce est certamen, unde *agonisticus* derivatur.
- d *Vim sortis hoc facere, &c.*) si præter casum aliud intellexit *Vindicianus*, ipse quoque erravit. Est autem casus *eventus rarus, qui præter intentionem natura accidit*, ut colligitur ex *Aristotele*. Quod ergo *Astrologi* verum subinde dicunt, ex casu est, sive sorte, dum aliquis eventus conjungitur per accidens cum tali siderum positura, quæ ad eum efficiendum vim nullam, aut certe non infallibilem habet. Esse vero hos eventus plane *casuales* id convincit, quod mendacia *Astrologorum*,

1.4 disqui-
sit. c. 3, 9.
1.
1.5 de civ.
c. 7. & 1.
2 de doct.
Christ. c.
22, & 23.

rum, sint multo plura veris prædictionibus ut docet Delrius. Quinimo cum vera dicunt, id vel provenit ex occulto pacto cum dæmone, vel quia id Deus permittit in pœnam curiositatis nostræ, aliorumque peccatorum, quod censuit alibi S. D.

V S V S.

1. Causam indicat S. D. ob quam vel maxime detestari debemus divinationem planetariam, quia dum fidere quodam fato, libero arbitrio necessitas imponitur, peccata in siderum autorem retorquentur: quasi ipse per sidera sua cogat ad peccandum, qui per præcepta sua prohibet peccata.
2. Animadvertite mirabilem divinæ bonitatis sapientiam, qua electos suos è peccatorum cœno paulatim educit, infigendo subinde stimulos per dicta hominum sapientum & proborum: quæ etli non moveant, cum dicuntur, post dies, menses, & annos demum aliquot, vim suam exerunt. Ita S. D. Vindiciani admonitione delineatum sive inchoatum in se Astrologicæ divinationis contemptum fatetur.

CAP. IV.

Dum Tagasta Rhetoricam docet, amici quem immoderate diligebat, morte, in luctum incredibilem conjectus est.

1. **I**N illis annis, quo primum tempore in municipio, quo natus sum, docere cœperam, comparaveram amicum societate studiorum nimis carum, cœvum mihi, & conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creverat, & pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum sic erat amicus, quanquam ne tunc quidem, sicuti est vera amicitia (quia non est vera, nisi

nisi

nisi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi, *caritate diffusa in cordibus nostris, per Spiritum Rom. 5, 5, sanctum, qui datus est nobis*) sed tamen dulcis erat nimis, cocta fervore parilium studiorum. Nam & à fide vera, quam non germanitus & penitus adolescens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas & perniciosas, propter quas plangebatur me mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, & non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu, imminens dorso fugitivorum tuorum, *Deus Ps. 93. 1. ultionum* & fons milericordiarum simul, qui convertis nos ad te miris modis! ecce abstulisti hominem de hac vita, cum vix explevisset annum in amicitia mea, suavi mihi & supra omnes suavitates illius vitæ meæ.

2. Quis laudes tuas enumerat, unus in se uno, quas expertus est? Quid tunc fecisti Deus meus, & quam investigabilis abyssus judiciorum tuorum? Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore letali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante: & præsumente id retinere potius animam ejus, quod à me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat, nam recreatus est, & salvus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox, ut ille potuit: quoniam non discedebam, & nimis pendebamus ex invicem) tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irrifuro mecum baptismum, quem acceperat mente atque sensu absentissimus: sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate: ut si

amicus esse vellem, talia sibi dicere desiderem.

3. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, essetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem, quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies me absente, repetitur febribus, & defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meum: & quicquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, & paterna domus mira infelicitas: & quicquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem vertebatur. Expegebant eum undique oculi mei, & non dabatur mihi: & oderam omnia, quia non haberent eum. Nec mihi jam dicere poterant: ecce veniet, sicut cum viveret, quando absens erat. Et factus eram ipse mihi magna quæstio, & interrogabam animam meam, *Pfal. 41. 6. quare tristis esset, & quare conturbaret me valde?* & nihil noverat respondere mihi. Et si dicebam: *Spera in Deum*, iuste non obtemperabat, quia verior erat & melior homo, quem carissimum amiserat, quam phantasma, in quod sperare jubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi, & successerat amico in deliciis animi mei.

N O T Æ.

- a *Supra omnes suavitates illius vite mea*) Nonnunquam amor inter ejusdem sexus personas vehementior est, quam inter diversi: quod ostendit David in amore Ionathæ, quem *amabilem appellat super amorem mulierum*; simili amore etsi non inhonesto, tamen inordinato exarsit Augustinus erga hunc amicum suum, de quo vitio alibi.

b *Bapti-*

b *Baptizatus est nesciens*) ita tamen ut priusquam V. Suar.
sensibus destitueretur, desiderium baptismi ali- 3. P. t. 3.
quando ostenderit, & nunquam retractarit. Nam d. 24. f. 1.
ejusmodi saltem voluntatis consensum requiri & d. 14. f.
ad Baptismum vere suscipiendum, docent Theo- 2. l. 4. de
logi, & tradidit satis clare ipse S. D. estque bapt. c. 24
conforme Concil. Carthagin. III. cap. 23. &
Concil. Araus. l. c. 12.

V S V S.

1. Vide efficaciam Baptismi, ejus enim virtute tantum in Christi fide, robur adeptus est hic S. D. amicus, ut à veritate amplius dimoveri non posset. Nec dubium est aliorum quoque Sacramentorum similem esse efficaciam, si rite suscipiantur.
2. Discamus esse *amici usque ad aram*, hoc est non ultra, quam Dei voluntas & nostra salus permittit. Exhorrescamus amicum ad illicita impellentem, ut inimicum: & post Confessionis vel Eucharistiæ, ut iste post Baptismi Sacramentum, admoneamus *mirabili & repentina libertate* illos, qui ad noxia ducunt; *ut si amici esse velint, talia dicere desinant.*
3. Solidum est solatium, quod suggerit S. D. in morte amicorum & carorum: *abreptus est dementia mea* nescienti recte amare, *ut servetur consolatio mea*, quam percipiam aliquando ex societate illius in cælo; quo ut perveniret rapuit illum Deus, periturum fortasse, si mecum fuisset.
4. Adverte hæreticos & impios, in luctu carere solatio solido, nec posse sibi respondere, cum interrogant seipfos. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Homo fidelis & justus videt ex inordinato amore dolorem suum nasci, ideoque tristitiam pellit dicendo: *Fiat voluntas tua*, attollendo animum ad gaudia cælestia, excipiendo tribulationem velut materiam meriti, aut pœnam peccatis suis debitam. Horum nihil noverat vel credebat in hoc luctu Augustinus.

*Querit cur in precibus & amissione rei cara
fletus dulcis sit.*

1. **E**T nunc Domine jam illa transferunt,
& tempore lenitum est vulnus meum.
Possumne audire abs te, qui veritas es: &
admoveare aurem cordis mei ori tuo, ut di-
cas mihi, cur fletus dulcis sit miseris? Aut
tu, quamvis ubique adsis, longe abjecisti à
te miseriam nostram? & tu in te manes, nos
autem *a* in experimentis volvimur? Et ta-
men nisi ad aures tuas ploraremus, nihil re-
fidui de spe nostra fieret. *b* Unde igitur sua-
vis fructus de amaritudine vitæ carpitur ge-
mere, & flere, & suspirare, & conqueri? An
hoc ibi dulce est, quod speramus exaudire
te? Recte istud in precibus, quia desiderium
pervenienti habent. Nunquid in dolore
amissæ rei, & luctu, quo tunc operiebar?
Neque enim sperabam reviviscere illum, aut
hoc petebam lacrymis, sed tantum dolebam
& flebam; miser enim eram, & amiseram
gaudium meum. An & fletus res amara est:
& præ fastidio rerum, quibus prius frueba-
mur, & tunc dum ab eis abhorremus, de-
lectat?

N O T Æ.

a In experimentis volvimur) Per experientiam rerum
causas & naturas investigare conamur, quas
Deus in sua sapientia cognoscit & ordinat, absq;
labore & errore, cui utrique miserix, nostra
obnoxia est experientia. Hinc difficile est perve-
nire ad perfectam Sapientiam, imo & virtutem,
cujus studium vel maxime persuadetur experi-
mento acerbitatis, qua asperguntur vitia.

b Unde

b Vnde igitur *suavis fructus*) Cur fletus dulcis sit miseris & aliquod solatium præbeat, ex ipsa tristitiæ natura colligi potest. Nam sicut lætitia cor dilatat, & hominem in risum solvit per motum diaphragmatis: ita tristitia cor & partes oculis vicinas constringit, humoremque illis contentum in lachrymas eliquat. Quo motu, dum cor angustias confluentis sanguinis à se repellere nititur, qualemcunque voluptatem percipimus, ei pruritus non absimilem, quem sentiunt ulcerosi cum scalpuntur. In precibus vero ad Deum magis dulcescere lachrymas, spe veniæ & impetrationis recte sentit S. D. Quod ipsum forte contingit in dolore rei amissæ, dum phantasia apprehendit quasi recuperabile, quod recuperari non potest: & amorem prius quæta possessione velut languescentem, in iactura rei amatæ, denuo exsuscitat & magis inflammat.

V. Suar. l.
5. de ani-
mac. 3. n.
14.

CAP. VI.

Explicat miseriam inordinati affectus, quo excruciabatur ob mortem illius amici.

1. **Q**uid autem ista loquor? Non enim tempus quærendi nunc est, sed confitendi tibi. Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium; & dilaniatur, cum eas amittit: & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas. Sic ego eram illo tempore, & flebam amarissime, & quiescebam in amaritudine. Ita miser eram, & habebam cariorem illo amico meo, vitam ipsam miseram. Nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quam illum. Et nescio, an vellem vel pro illo, sicut de Oreste & Pylade traditur, si non fingitur; qui vellent pro invicem vel simul mori, quia mor-

morte pejus eis erat non simul vivere. Sed in me nescio, quis affectus nimis huic contrarius ortus erat: & tædium vivendi erat in me gravissimum, & moriendi metus. Credo quo magis illum amabam, eo magis mortem, quæ mihi illum abstulerat, tanquam atrocissimam inimicam oderam & timebam: & eam repente consumpturam omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini.

2. Ecce cor meum Deus meus! ecce intus vide, quia memini spes mea, qui me mundas à talium affectionum immunditia: dirigens oculos meos ad te, & *evellens de laqueo pedes meos*. Mirabar enim cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat: & me magis, quia illi alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, *Dimidium anima mea*. Nam ego *b* sensi animam meam & animam illius, unam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrore erat vita, quia nolebam dimidius vivere. Et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.

Pfal. 24.
25.

Horat. l. 1
Carm. od.
3. ad Vir.

V. lib. 2
Retract.
cap. 6.

N O T A.

L. 11. de
eiv. Dei
cap. 27.

- a *Quamvis eam mutare vellem, nollem tamen eam amittere magis, quam illum.)* causa est, quia naturali quadam vi ipsum esse jucundum est, etiam miseris: ut egregie S. D. alibi demonstrat exemplo pauperum, & mendicorum. Vnde enim, inquit, mori metuunt & malunt in illa arumna vivere, quam eam morte finire, nisi quia satis apparet, quantum natura refugiat non esse? Sic ergo S. August. in vita etsi misera, mortem tamen metuebat: & potius sinebat amicum non esse, quam seipsum.
- b *Sensi animam meam & animam illius unam fuisse)*

cul

culpat hanc amoris exaggerationem his verbis :
cum de amici morte animi mei miseriam confiterer , di-
cens quod anima nostra quodammodo una facta fuerat
ex duabus : & ideo inquam , forte mori metuebam , ne
totus ille moreretur , quem multum amaveram ; qua
mihiquasi declamatio levis , quam gravis confessio vi-
detur , quamvis utcunque temperata sit hac ineptia in
eo , quod additum est , forte. Quo exemplo religio-
fissimus Pater , merito avocare debet Christia-
nos Scriptores , ne in libris scriptisque suis ea po-
nant , quæ ingenium mulcent quidem , sed ad vir-
tutem nihil conducunt.

1. c. Retr.

V S. V S.

1. Discrimen ingens est inter caritatem ordina-
 tam & inordinatam , illa tanta est , *ut animam*
suam ponat pro amicis suis , non item ista , quæ in
sensuum oblectatione fundata , ad veram virtu-
tem non assurgit. Vnde recte dixit Aristoteles
amicitias juvenum , mutata atate jucunda & forma
desinere , quia amicitia cum jucunditate mutatur , item ,
amicitias hominum voluptuosorum non fortiter conjun-
gi , sed ingruente discrimine gravi dissilire. Quare
S. D. dubitat , an verum sit , quod de Pyladis &
Orestis amicitia circumfertur , eos mortem pro
se mutuo oppetere voluisse : certe id non tam
veræ amicitiae impulsu , quam furoris fecisse
videntur. Id compertum est , rara esse tam firmæ
amicitiae exempla , extra caritatem , quæ per Spi-
ritum sanctum diffunditur in cordibus fidelium.
2. Certum indicium est *animum vinctum esse amici-*
tia rerum mortalium , si dilaniatur , cum eas amittit ,
non enim est in amittendo dolor , si non fuit in
habendo cupiditas , quamvis non sentiat dolo-
rem , antequam amittat , quod diligit : sicut avi-
cula , quod capta & constrieta sit compedibus , non per-
cipit , & cum supersidet glutino , non sentit se annexam ,
quousque recedere voluerit , & inde volare , ut sapien-
ter observat Gerson.

Ioan. 15.
13.Ethic. 1. 8.
c. 3.

ib. c. 5.

Rom. 5. 5.

De monte
contempl.
cap. 12.

C A P. VII.

Solatum nullum reperiens , doloris impatientia mutat locum, & redit Carthaginem.

1. **O** Dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! Itaque æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar: nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam, & cruentam animam meam, impatientem portari à me: & ubi eam ponerem, non inveniēbam. Non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in suaveolentibus locis, nec in conviviis apparatus, neque in voluptate cubilis & lecti, non denique in libris atque carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, & ipsa lux, & quicquid non erat, quod ille erat, improbum & odiosum erat, præter gemitum & lachrymas; nam in eis solis aliquantula requies.

2. Vbi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseræ, quæ à te Domine levanda erat, & curanda. Sciebam, sed nec volebam, nec valebam, eo magis, quia non mihi eras aliquid solidum & firmum, cum de te cogitabam. Non enim tu eras, sed vanum phantasma & error meus, erat Deus meus. Si conabar eam ibi ponere, ut requiesceret, per inane labebatur, & iterum ruebat super me: & ego mihi remanseram infelix locus, ubi
nec

nec esse possem, nec inde recedere. Quo enim cor meum fugeret à corde meo? quo à me ipso fugerem? quo me non sequeretur? Et tamen fugi de patria; minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant; atque à Tagastensi oppido veni Carthaginem.

V S V S.

1. Ab inordinato amore, vel maxime deterrere deberet ingens cruciatus, qui non solum in amissione, verum & retentione carnalis amicitiae animum obruit, quem luculenter S. D. hic describit, adeo ut merito dixerit Taulerus, *si inordinati amoris affectui non pure propter Deum, nec æterna salutis nostræ gratia renuntiare volumus, saltem ob multam cordis pacem, quam etiam in hac vita inde consequimur: & ut complures internas, graves, & parum meritorias pressuras, & anxietates possimus evadere, libenter ea (quæ carnaliter diligimus) abdicare deberemus, quanquam hæc nobis potior esse intentio non debeat.* Verum hujus mali, quod latius patet quam crediqueat, causas, proprietates, remedia peculiari tractatu explicavimus. Serm. de S. Magdalena.
2. Ex ingenti dolore, quem S. D. ex amissione hujus amici accepit, licet conjecturam facere, de intolerabili dolore, quo æternum cruciabuntur damnati, ob amissionem summi boni. Quam pœnam nec lacrymis lenire poterunt, quia *fletus & stridor dentium erit inter pœnas, nec mutatione loci, quia in inferno nulla est redemptio.* Mat. 8. 12;
3. Gratias agamus Deo, qui nos voluit venire ad agnitionem nominis sui & veræ fidei, ipse enim est *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis,* 2. Cor. 1; qui *consolatur nos in omni tribulatione nostrâ,* modo solatium ab ipso & in ipso quæramus. Talem Deum Augustinus in morte hujus amici sui non habuit, cui Deus *Phantasma* fuit, corpus nimirum lucidum & infinitum; hinc nec in illo, nec in se ipso solatium invenit.

CAP.

C A P. VIII.

Tempus dolori mederi solatia pristinis similia afferendo, se vero illecebras humana amicitia sectatum.

1. **N**on vacant tempora, nec otiose voluntur per sensus nostros; faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant & præteribant de die in diem, & veniendo & prætereundo inferebant mihi species alias, & alias memorias: & paulatim refarciebant me pristinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille: sed succedebant non quidem dolores alii, causæ tamen aliorum dolorum. Nam unde me facillime, & in intima dolor ille penetraverat, nisi quia fuderam in arenam animam meam diligendo moriturum, ac si non moriturum! Maxime quippe me reparabant, atque recreabant aliorum amicorum solatia, cum quibus amabam, quod pro te amabam *b*. Et hoc erat ingens fabula, & longum mendacium, cujus adulterina confricatione, corrumpebatur mens nostra, pruriens in auribus. Sed illa mihi fabula non moriebatur, si quis amicorum meorum moreretur.

2. Alia erant, quæ in eis amplius capiebant animum: colloqui, & corridere, & vicissim benevole obsequi; simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul honestari; dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima, dissensione condire consensiones plurimas; docere aliquid invicem, aut discere

fcere aliquid ab invicem; desiderare absentes cum molestia, suscipere venientes cum lætitia. His atque hujusmodi signis, à corde amantium & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, & per mille motus gratissimos, quasi fomitibus animos conflare, & c. ex pluribus unum facere.

N O T Æ.

- a *Nec otiose voluntur & c.*) afferit tempus dolorem mitigare afferendo *species alias, & alias memorias, & delectationes pristinis similes.* Quia species rerum, quas prius amabamus, paulatim absorbentur à novis. Quamvis enim species intelligibiles sint incorruptibiles, phantasmata tamen, à quibus in hac vita dependet intellectus, sensim evanescent: & à novis pelluntur, quæ ab aliis objectis animo adveniunt.
- b *Et hoc erat ingens fabula*) intelligit Deum Manichæorum corporeum & infinitum, quem pro Deo tum colebat, etsi merum phantasma foret, & sane *longum mendacium*, utpote quod in immensum error extenderet.
- c *Ex pluribus unum facere*) istud nimirum est, quod per tot amoris lenocinia quæritur, *hoc enim amantium votum est*, ait Aristophanes *ut amans commixtus ac colliquefactus, ex duobus unus fiat.* Sed quia teste S. Thoma, *ex hoc accideret, aut ambos aut alterutrum corrumpi, quarunt unionem, qua convenit & decet: ut scilicet simul conversentur, & simul colloquantur, & in aliis hujusmodi jungantur*, per ea amoris indicia, quæ hic ponit S. Aug.

In Sym-
pos.
Platon.
1.2.q.28.
a. 1. ad 2.

V S V S.

2. Utile remedium insinuat S. D. adversus dolorem de morte catorum, ut nimirum *non diligas moriturum, ac si non moriturum, sed memineris statutum esse hominibus semel mori*, nec quenquam vivere eo privilegio, ut semper victurus sit. Vnde, quod is respondit nuntianti filiū esse mortuum, *scire se mortalem genuisse*, hoc amatoribus quoque occinendum est: *scias te mortalem amare; imo quid-*
quid.

Hebr. 9.
27.

quid creatum amas, scias te id amare, quod brevi transiturum est.

2. Expende quam leve, & infidum sit carnalis amicitiae commercium. *Nugari & inaniter oblectari, sive honestari* ut appellat S. D. certe res est, quae animum serium non decet; nec fieri potest absque jactura temporis & impedimento virtutis; praesertim cum animus in absentia amici, turbulento & vehementi desiderio ejus exardescit, quod certum est signum vitiosi affectus. Virtus enim pacem & tranquillitatem affert. Vtinam tam serio multi dolerent de absentia & subtractione divinae gratiae, quantum tristantur de absentia & subtractione amicae, vel amici!

C A P. I X.

Humana amicitia quarit ex amici corpore indicia benevolentiae. Beatus, qui amat Deum, & amicum in Deo.

1. **H**oc est, quod diligitur in amicis, & sic diligitur, ut rea sit sibi humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit: nihil quærens ex ejus corpore, præter indicia benevolentiae. Hinc ille luctus, si quis moriatur, & tenebræ dolorum, & versa dulcedine in amaritudinem cor madidum: & ex amissa vita morientium, mors viventium. Beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur. Et quis est iste, nisi Deus noster, Deus, qui fecit coelum & terram, & implet ea, quia implendo ea, fecit ea? Te nemo amittit, nisi qui dimittit. Et qui dimittit, quò it, aut quò fugit, nisi à te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam

am in poena sua? *Et lex tua veritas, & veritas tu.* P^{sal.} 118.
142.
Ioa. 14. 6.

V S V S.

1. *Si amantem hominem non redamaverit homo, merito à seipso & aliis damnatur, multo ergo magis rei sumus, quod amantem nos Deum non redame-*
mus; cum ejus amorem infinita beneficia, eaque certissima creationis, conservationis, redemptionis, &c. manifestent. Contra indicia amoris ac benevolentiae, quæ ex hominis corpore captamus, sunt infida & fallacia. Sæpe enim risui subest odium, & blandis verbis, ac benevolis signis averfus ac inimicus animus, ut vel ex hoc capite carnalis amicitia non possit sapienter amari.
2. *Beatus contra est qui amat Deum, & amicum in Deo, tanquam imaginem in suo exemplari, & inimicum propter Deum præcipientem: Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, Mat. 3.*
nam etsi inimici hominis justî, peccatis imaginem Dei in se ipsis corrumpant & obscurent: re-
tinent tamen naturam, quæ potest reformari per gratiam. Amicus vero quantumvis bonus, non aliter est amandus, quam in quantum per dona gratiæ, divinam imaginem in seipso illustrat. Qui autem amat dona naturæ, ingeni, formæ, fortunæ in alio, perinde agit, ut is, qui amat imaginem Cæsaris auream, propter aurum, non propter Cæsarem. 24.
3. *Non est certior via ad pacem animi, quam amor Dei, vere enim nihil carum amittit, cui omnia in illo cara sunt, qui solus non amittitur, quoscunque enim amicos & quæcunque bona amittit, non turbatur; sed hac cogitatione se mox ad quietem componit: Restat mihi Deus, quem amittere non possum, nisi volens, in illo omne bonum est: & illud ipsum bonum, quod amisi particula est omnis boni, multo melius in summo bono, quam in se. Quare ergo tristis es anima mea?*

C A P.

C A P. X.

Modus creaturarum est, ut orientur & occidant, & per esse tendant ad non esse: errat, qui in illis querit aliquid stabile.

Psal. 29.
4.

I. **D** *Eus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Nam quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te: tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se. Quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te; quæ oriuntur & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur, & perfecta senescunt & intereunt: etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo cum oriuntur & tendunt esse, quò magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant, ut non sint. Sic est modus eorum; tantum dedisti eis; quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedendo ac succedendo agunt omnes universum, cuius partes sunt. Ecce sic peragitur, & sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat, cum sonuerit partes suas, & succedat aliud.

2. Laudet te ex illis anima mea, Deus creator omnium; sed non eis infigatur glutine amoris, per sensus corporis. Eunt enim, quo ibant, ut non sint, & conscindunt eam desiderii pestilentiosis: quoniam ipsa esse vult, & requiescere amat in eis, quæ amat. *b* In illis autem non est ubi, quia non stant; fugiunt: & quis ea sequitur sensu carnis, aut quis ea comprehendit, vel cum præsto sunt?

Tardus

dus est enim sensus carnis, quoniam sensus carnis est: & ipse est modus ejus. Sufficit ad aliud, ad quod factus est: ad illud autem non sufficit, ut teneat transcurentia ab initio debito, usque ad finem debitum. In verbo enim tuo, per quod creantur, *c* ibi audiunt, hinc, & hucusque.

N O T Æ.

- a *Agunt omnes uniuersum, cuius partes sunt,*) ut plures personæ sibi mutuo succedentes comœdiam peragunt, nec diutius in scena morantur, quam actio postulat, ita S. D. dicit creaturas *agere uniuersum*, magnam sane Comœdiam. Comparat deinde sermoni, in quo syllaba succedit syllabæ, ut possit totus absolvi.
- b *In illis autem non est ubi, quia non stant*) significat in creaturis non esse locum quietis, quia ex natura sua fluunt & transeunt. Locus autem, siue ^{4. Phys.} ubi ex Philosophorum etiam sententia, est quid- _{r. 42.} dam immobile.
- c *Ibi audiunt, hinc, & hucusque*) verbum Dei audiunt, per quod fiunt, *hinc* esse incipient, & *hucusque* durant, quousque Deus & natura permittit.

V S V S.

1. Efficaciter incitat ad contemptum rerum caducarum & sensibilibus, quæ ideo sunt, ut paulo post non sint, & quanto magis florent ac crescunt, tanto citius finiuntur. Et tamen cupimus stare voluptates ac illecebras sensuum, non minus insipienter, quam si quis stans in ripa, conaretur retinere aquam fluminis præterlabentis. Conclusum est dudum contra filios hujus seculi: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* ^{Eccles. 2, 11.}
2. Cavendum à delectationibus sensuum, qui agglutinant animum creaturis, nec fatiant, neque enim possunt eas tenere transcurentes. Ideo cum necessarium sit identidem ab iis avelli, identidem necesse est animum cruciari aut dolore, aut desiderio.

F C A P.

C A P. XI.

Solus Deus permanet , caro non sentit , nisi partem aliquam creaturarum , quibus omnibus melior est creator immutabilis.

1. **N**Oli esse vana anima mea, & obsurdere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipsum clamat, ut redeas, & ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Nunquid ego aliquo discedo? ait verbum Dei. Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda, quicquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallaciis. *a* Veritati commenda, quicquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid; & reflorescent putrida tua, & sanabuntur omnes languores tui; *b* & fluxa tua reformabuntur, & renovabuntur, & constringentur ad te; & non te deponent, quo discedunt, sed stabunt tecum, & permanebunt ad semper stantem ac permanentem Deum.

2. Vt quid perversa sequeris carnem tuam? Ipsa te sequatur conversa. *c* Quicquid per illam sentis, in parte est, & ignoras totum, cuius hæ partes sunt, & delectat te tamen. Sed si ad totum comprehendendū, esset idoneus sensus carnis tuæ: *d* ac non & ipse in parte universi accepisset pro pœna tua justum modum: velles, ut transfret, quicquid existit in præsentī, ut magis tibi omnia placerent. Nam, & quod loquimur,
per

per eundem sensum carnis audis: & non vis utique stare syllabas, sed transvolare, ut alia veniant, & totum audias. Ita semper sunt omnia, quibus unum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea, quibus constat. plus delectant omnia quam singula, si possint sentiri omnia. Sed longe his melior, qui fecit omnia, & ipse est Deus noster: & non discedit, quia nec succeditur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: ne in his, quæ tibi placent, tu displiceas.

NOTÆ.

- a *Veritati commenda*) Deo offer, quidquid boni ab illo habes vel desideras: ille cum sit veritas, ostendet tibi, an & quod solatium sit in creaturis.
- b *Et fluxa tua reformabuntur*) caro & sensus corporis, per amorem Dei dirigentur ad finem suum, & *constringentur ad te*, quia amor Dei non finit sensus & concupiscentias diffluere in creaturas; & *non te deponent*, non secum trahent, quo *descendunt* sive (ut alii legunt) *descendunt*, nempe in nihilum & corruptionem; *sed stabunt tecum* per subjectionem, & *permanebunt* in manipulis meritorum, quos perferes *ad semper stantem Deum*. Sicut enim peccatori ex oblectationibus sensuum *remanet pœna, fugiente gaudio*: ita iusto propter licitum, & ex virtutis regula moderatum rerum sensibilem usum, *reposita est corona justitiæ fugiente labore*.
- c *Quicquid per illam sentis, in parte est*) oculus enim non percipit nisi colorem & lucem, auris non nisi sonum & voces, gustus non nisi saporem cibi & potus, olfactus non nisi odores, tactus non nisi mollia & dura, singuli sensus singulas particulas universi. Et quidem simul non percipiunt, nisi particulam suæ particulæ. Ita oculus dum lustrat palatium, non potest simul contemplari sidera, dum in iis occupatur, non fruitur pul-

pulchritudine ruris, camporum, hortorum, & quæcunque alia aspectum pascunt, avocant interim à lectione librorum. Aures dum attendunt melodiis, avocantur à jucundis sermonibus, dum his vacant, non mulcentur cantu avicularum, strepitu aquularum, susurro arborum. Dum potamus, simul cibum glutire non possumus, dum caro sapit, absunt pisces; dum hoc vel illud obsonium delectat, alio simul vesci non possumus Delectationes sensuum obstant delectationibus animi. Verum denique est, quidquid sentit Sensus, particula est aliqua, imo particula particulæ.

- d. *Accepisset pro pœna tua justum modum*) natura carnis & sensuum quidem est talis, ut non possit sentire, nisi objectum suum, & nec illud quidem totum simul. Sed natura post peccatum versa est in pœnam, sublata enim justitia originali, sensus immoderate rapiuntur in creaturas, & contra rationis dictamen; hinc lucta carnis & spiritus, in omnibus filiis Adam.

V S V S.

1. Priori cap. irrefragibili demonstratione vanitatem creaturarum ostendit S. D. ex earum fugaci instabilitate; nunc alteram demonstrationem addit, ex eo, quod non nisi particulam aliquam rerum sensibilibus sensu apprehendamus, plus autem delectant omnia in quovis toto, quam singula.
2. Vnde sequitur meliores esse delectationes mentis quam carnis, intellectus enim totius universi creaturas cognoscit & æstimat, earumque bonitate delectatur. *Sed longe, & singulis, & omnibus creaturis melior, qui fecit omnia, & ipse est Deus noster, & non discedit in nihilum, quia non succeditur ei, neque enim est alius Deus præter ipsum.*

CAP.

CAP. XII.

Anima in Deo amanda, & ad eum rapienda, in quo solo quies: ad quem nos redire, & ascendere descensu suo docuit Christus.

1. *a* **S**I placent animæ, in Deo amentur quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur: alioquin irent, & perirent. In illo ergo amentur: & rape ad eum tecum, quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus, ipse fecit hæc, & non est longe. *b* Non enim fecit, atque abiit, sed ex illo in illo sunt. Ecce ubi est, ubi sapit veritas. Intimus cordi est, sed cor erravit ab eo. *Redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos. State cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Bonum, quod amatis, ab illo est: sed quantum est ad illum, bonum est & suave. Sed amarum erit iuste, quia iniuste amatur, deserto illo, quicquid ab illo est.* Esaï. 46.
8.

2. Quò vobis adhuc, & adhuc, ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite, quod quæritis: sed ibi non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Et *c* descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam *d* de abundantia vitæ suæ; & tonuit clamans, ut redeamus hinc ad eum *e* in illud secretum, unde processit ad nos; *f* veniens in ipsum

Pfal. 18.
6. 7. sum primum virginalem uterum, g ubi ei nupsit humana creatura, caro mortalis, nec semper mortalis; & inde, *velut sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Non enim tardavit, sed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum. Et diceffit ab oculis ut redeamus ad cor, & inveniamus eum.

3. Abscessit enim, & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse, & non reliquit nos. Illuc enim abscessit, unde nunquam recessit, *quia mundus per eum factus est, & in hoc mundo erat, & venit in hunc mundum peccatores salvos facere; cui confitetur anima mea, ut sanet eam, quia peccavit illi.* Filii hominum, usquequo graves corde? nunquid & post descensum vitæ, non vultis ascendere & vivere? Sed quo ascendistis, quando in alto estis, & *posuistis in caelum os vestrum?* h Descendite, ut ascendatis, & ascendatis ad Deum. Cecidistis enim, ascendendo contra eum. Dic eis ista, ut plorent in convalle plorationis, & sic eos rape tecum ad Deum, quia de spiritu ejus hæc dicis eis, si dicis ardens igne caritatis,

N O T Æ.

- a *Si placent anima, in Deo amentur*) Animas jubet in Deo amari S. D. quia Deus spiritus est. Corpora non jubet in Deo amari, sed illum ex corporibus laudari, quia Deus corpus non est; unde corpora non ita proprie amantur in Deo, quia nihil in eo est corporeum: amantur tamen propter Deum, & inde mens exurgit in laudem ejus, qui & corpusfecit, & spiritum.
- b *Non enim fecit, atque abiit*) ut architectus postquam domum extruxit, vel artifex, postquam imaginem formavit; omnia enim non solum ex
Deo

Deo sunt, tanquam efficiente, sed etiam in illo, tanquam conservante & continente, ut dictum L. 1. c. 2. supra.

- c *Descendit huc ipsa vita*) Christus, qui de seipso ait: *ego sum via, veritas, & vita, & occidit mortem nostram* redimendo nos, satisfaciendo pro peccatis nostris. Ioan. 14. 6.
- d *De abundantia vita sua*) utique vita abundavit Christo, unam perdidit in cruce mortalem, ut homo, alteram immortalem servavit ut Deus.
- e *In illud secretum*) inaccessæ divinitatis.
- f *Veniens in ipsum primum uterum virginalem*) primus uterus virginalis & fœcundus, fuit uterus B. Virginis. *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*
- g *Vbi ei nupst humana creatura*) per incarnationem; caro mortalis ante resurrectionem, nec semper mortalis, quia immortalis post resurrectionem.
- h *Descendite ut ascendatis*) descendite per humilitatem, ut ascendatis per Dei amorem ad Deum.

V S V S.

1. Suggestit S. D. hoc capite, item proximis duobus, salubrem meditationem, adversus blandimenta mundi, vel retinentis, vel revocantis.
2. Proponit S. D. vitam Christi, tanquam efficacissimum medium ad bona caduca aspernanda. Ideo enim vitam mundo contrariam elegit, ut bona hujus vitæ, caduca & levia esse persuaderet, discessit vero ad cælum per ascensionem, ut quæramus eum, & sequamur vestigia ejus.

C A P. XIII.

Ista nesciens amabat pulchra inferiora, quorum consideratione cognovit pulchrum & aptum, ac de utroque libros scripsit.

1. **H**Æc tunc non noveram, & amabam pulchra inferiora & ibam in profundum, & dicebam amicis meis num amamus aliquid, nisi pulchrum? Quid est enim

pulchrum? & quid est pulchritudo? Quid est, quod nos allicit, & conciliat rebus, quas amamus? Nisi enim esset in eis decus & species, nullo modo nos ad se moverent. Et animadvertēbam & videbam in ipsis corporibus *a* aliud esse quasi totum, ideo pulchrum, *b* aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui, sicut pars corporis, ad universum suum, & similia. Et ista consideratio scaturivit in animo meo ex intimo corde meo, & scripsi libros de pulchro & apto, puto duos, aut tres. Tu scis Deus: nam excidit mihi. Non enim habemus eos, sed aberraverunt à nobis, nescio quomodo.

N O T Æ.

- a* Aliud esse quasi totum, & ideo pulchrum) infra definit pulchrum esse id, quod per seipsum decet S. Th. magis distincte, ad pulchritudinem ait, tria requiruntur, I. quidem integritas, sive perfectio, qua enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt, II. debita proportio, sive consonantia, III. claritas, qua in corporibus est coloris suavitas, Vnde S. Augustin. pulchritudinem corporis alibi definit ex Cicerone, partium congruentiam, cum quadam coloris suavitate, & S. Th. pulchre bonum à pulchro distinguit ex hoc, quod bonum proprie respicit appetitum, pulchrum autem vim cognoscitivam, pulchra enim dicuntur, qua visa placent, ubi per visionem intelligo quoque cognitionem intellectivam, qua non solum percipimus pulchritudinem corporum, verum & animorum, quorum pulchritudo est rectitudo voluntatis cum claritate Sapientia.
- b* Aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui) distinguit S. D. aptum à pulchro, nam pulchrum absolutum quid est & totum; aptum ad alterum refertur, tanquam pars, aut vestis, aut aliquid aliud. Pulchrum enim, ut S. D. alibi ait, per seipsum consideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est.
- Aptum*

Cap. 14. 1.
p. q. 39. a.
8. c.

L. 22. de
civ. Dei
cap. 19.
l. 3. quæst.
Tuscul. 1.
p. q. 5. a.
4. ad 1.

V. Bell.
in Psal.
44.

t. 2. ep. 5.
sub ioint.

*Aptum vero, cui ex aduerso est ineptum, quasi reli-
gatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo,
cui connectitur, iudicatur: nimirum decens atque in-
decens, vel hoc idem est, vel perinde habetur. Afferit
pulchrum cognosci per seipsum, ut an equus, an
homo sit pulcher: aptum vero non nisi per aliud,
neque enim vestem quis potest aptam dicere, ni-
si intelligat, an congruat corpori.*

V S V S.

1. Ex hac pulchri notione sequitur solum Deum
perfecte esse pulchrum. Ipse enim solus habet I.
Omnem perfectionem, II. Proportionem per-
fectam omnis iustitiæ & sanctitatis. III. Clarita-
tem Sapientiæ absque ignorantia & errore. Vn-
de sicut teste Christo, *nemo bonus est* (perfecte
& à seipso) *nisi solus Deus*, ita *nemo pulcher est, nisi*
solus Deus, qui solus per seipsum, & à se ipso de-
cet. Creaturæ vero omnem decorem ab ipso, &
in ordine ad ipsum habent. Luc. 17.
19.
2. Nullum hominem perfecte esse pulchrum. I.
Quia nemo tam perfectus, cui non aliquid de-
sit in corpore vel animo. II. Quia nemo tam ju-
stus, qui proportionem rectæ voluntatis, non
leuibus saltem peccatis corrumpat, imo fomes
peccati siue concupiscentia, necessario aliquam
deformitatem causat. III. Quia nemo tam sa-
piens, ut claritatem sapientiæ nullo errore, vel
ignorantia obscuret. Cum ergo non possimus
esse vere *pulchri*, laboret quivis esse *aptus*, siue
convenire suo Fini, qui est Deus, suo Toti, cu-
jus est pars, religiosus Religioni, civis Reipu-
licæ, studiosus Academix, quod fiet leges salu-
tares & iustas sedulo observando.

C A P. XIV.

Se fama & laudibus, ut fieri solet, motum, Hierio Oratori libros de pulchro & apto inscripisse: ejusque exemplo, non item quorumvis aliorum, laudari cupiisse.

1. **Q**uid est autem, quod me movit Domine Deus meus, ut ad Hierium Romanæ urbis oratorem, scriberem illos libros: quem non noveram facie, sed amaveram hominem ex doctrinæ fama, quæ illi clara erat, & quædam verba ejus audieram, & placuerant mihi? Sed magis, quia placebant aliis, & efferebant eum laudibus; stupentes quod ex homine Syro, docto prius Græcæ facundiæ, post in Latina etiam doctor mirabilis extitisset: & esset scientissimus rerum ad studium Sapientiæ pertinentium, mihi placebat. Laudatur homo, & amatur absens. Vtrumnam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Absit. Sed *a* ex amante alio, accenditur alius. Hinc enim amatur, quia laudatur, *b* dum non fallaci corde laudatoris prædicari creditur: id est, cum amans eum laudat. Sic enim tunc amabam homines, ex hominum judicio: non enim ex tuo Deus meus, in quo nemo fallitur.

2. Sed tamen, cur non sicut auriga nobilis, sicut venator studiis popularibus difamatus: sed longe aliter, & graviter, & ita, quemadmodum & me laudari vellem? Non autem vellem ita laudari & amari me, ut *c* histriones, quanquam eos & ipse laudarem,

rem, & amarem: sed eligens latere, quam ita notus esse, & vel haberi odio, quam sic amari. Vbi distribuuntur ista pondera variorum & diversorum amorum, in anima mea? Quid est, quod amo in alio, quod rursus nisi odissem, non à me detestarer & repellerem, cum sit uterque nostrum homo? Non enim sicut equus bonus, amatur ab eo, qui nollet hoc esse, etiam si posset: hoc & de histrione dicendum est, qui naturæ nostræ focius est. Ergone amo in homine, quod odi esse, cum sim homo? Grande profundum est ipse homo, *Mat. 1. 30.* *capillos tu Domine numeratos habes, & non minuuntur in te: & tamen capilli ejus magis numerabiles sunt, quam affectus ejus, & motus cordis ejus.*

3. At ille Rhetor ex eo erat genere, quem sic amabam, ut vellem me esse talem: & errabam typho, & circumferebar omni vento, & nimis occulte gubernabar abs te. Et unde scio, & unde certus confiteor tibi, quod illum in amore laudantium magis amaveram, quam in rebus ipsis, de quibus laudabatur? Quia si non laudatum vituperarent eum iidem ipsi, & vituperando atque spernendo ea ipsa narrarent, non accenderer in eum, & non excitarer. Et certe res non aliæ forent, nec homo ipse alius, sed tantummodo affectus alius narrantium. Ecce, ubi jacet anima infirma, nondum hærens soliditati veritatis! Sicut auræ linguarum flaverint à pectoribus opinantium, ita fertur & vertitur, torquetur, ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas. Et ecce est ante nos! Et magnum

quiddam mihi erat, si sermo meus, & studia mea illi viro innotescerent. Quæ si probaret, flagrarem magis: si autem improbarer, fauciaretur cor vanum, & inane soliditatis tuæ. Et tamen pulchrum illud atque aptum, unde ad eum scripseram, libenter animo versabam ob os contemplationis meæ, & nullo collaudatore mirabar.

N O T A.

- a *Ex amante alio accenditur alius*) dum nempe bona & dona alterius, amantis affectu tam eloquenter & vehementer prædicantur, ut audiens credat amore dignum, qui ita laudatur. Non ergo amor ab amantis ore transit in audientem, quasi affectus ille migret de animo in animum, quod fieri non potest: sed quia amans tam illustri modo proponit ejus bona quem amat, ut bonum sic cognitum non possit non amari.
- b *Dum non fallaci corde &c.*) credi solet amantibus de iis quos laudant, quia cum natura nobis infitum sit non posse amare, nisi quod bonum est, credimus amantibus, esse bonum, quod amant & laudant. Cum vero amor humanus sæpe fallat, & sæpe qui amant, sibi somnia fingant, recte dicit S. D. se cum amabat homines ex hominum judicio, non amasse illos *ex judicio Dei*.
- c *Histriones*) agebant hi fabulas in scena, sic dicti à regione Histræ, vel ab Hister, quod Hetruscis ludionem significabat. Genus hominum apud Romanos infame erat, qui tum alia improbatum Deorum scelera, seu vera, seu ficta representabant. Apud Græcos vero infames non erant, quod illi putarent Deos ludis scenicis delectari; de quo egregie S. D. *In hac disceptatione ait, hujusmodi ratiocinatio summam quæstionis absolvit. Proponunt Græci: si Dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi sunt. Assumunt Romani: sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani: nullo igitur modo tales dii colendi sunt.*

L. 2. c. 13.
de civ.
Dei.

V S V S.

1. Sicut odimus in nobis conditionem vilem & artem illiberalem, histrionis, aurigæ, venatoris, etsi talia amemus & laudemus in aliis: quia putamus hæc esse infra dignitatem nostram, ideoque laudî nobis ducimus ista ignorare, & non factitare: sic contemnere deberemus omnia vana nomina ingenii, fortunæ, nec ex iis laudem captare: quia & ipsa, & omnia humana sunt infra magnitudinem animi Deum amantis, & sapientis *quæ sursum sunt, non quæ super terram.* Col. 3, 2.
2. Figendus est animus in Deo, ne ex laudibus & vituperiis æstimemus, nostra vel aliena, nec moveant nos *auræ linguarum flantes à pectoribus sæpe temere ac falso opinantium.* Cor nostrum *vanum* est, & *inane soliditatis divina*, quamdiu sauciatur, & torpescit in suis actionibus ob vituperia, & exardescit laudibus. Quamdiu tales sumus, *arundines sumus vento agitate,* Ioanni Baptistæ multum abfimiles. Mat. 13.7.

CAP. XV.

Rerum incorporearum ignorantia, duas substantias fingebat, monadem & dyadem, hanc summe malam, illam summe bonam: Libros vero de pulchro & apto, anno atatis 26, vel 27, scripsit.

1. **S**Ed a tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam omnipotens, qui *facis mirabilia solus;* & ibat animus meus *b* per formas corporcas; & pulchrum, *quod per se ipsum:* aptum autem, *quod ad aliquid accommodatum deceret,* definiebam, & distinguebam, & exemplis corporeis astruebam. Et converti me ad animi naturam: & non me sinebat falsa opinio, quam de spirtualibus habebam, verum cernere. Et iruebat in oculos

los meos ipsa vis veri : & avertēbam palpitan-
 tantem mentem ab incorporea re, ad line-
 amenta, & colores, & tumentes magnitu-
 dines. Et quia non poteram ea videre in
 animo, putabam me non posse videre ani-
 mum meum. Et cum in virtute pacem ama-
 rem, in vitiositate autem odissem discor-
 diam : c in illa unitatem, in ista quandam
 divisionem notabam. Inque illa unitate
 mens rationalis, & natura veritatis ac sum-
 mi boni mihi esse videbatur. In ista vero
 divisione irrationalis vitæ, nescio quam
 substantiam, & naturam summi mali, quæ
 non solum esset substantia, sed omnino vi-
 ta esset : & tamen abs te non esset Deus
 meus, ex quo sunt omnia, miser opinabar.
 Et tamen illam monadem appellabam, tan-
 quam sine ullo sexu mentem : hanc vero
 dyadem, iram in facinoribus, libidinem in
 flagitiis, nesciens quid loquerer.

2. Non enim noveram neque didice-
 ram, nec ullam substantiam malum esse:
 nec ipsam mentem nostram summum at-
 que incommutabile bonum. Sicut enim fa-
 cinora sunt, si vitiosus est ille animi motus,
 in quo est impetus, & se jactat insolenter
 ac turbide : & flagitia, si est immoderata il-
 la animæ affectio, qua carnales hauriuntur
 voluptates : ita errores, & falsæ opiniones
 vitam contaminant, si rationalis mens ipsa
 vitiosa est : qualis in me tunc erat, nescien-
 te alio lumine illam illustrandam esse, ut sit
 particeps veritatis, quia non est ipsa natura
 veritatis. *Quoniam tu illuminabis lucernam meam,*
 29. *Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas. &*
de plenitudine tua nos omnes accepimus. Es enim
 tu

Psal. 17.
29.

tu lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quia in te non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Sed ego conabar ad te, & repellebar abs te, ut scirem mortem, quoniam *superbis resistis*.

Ioan. 1.
16. 9.
Iacob. 1.
17.
1. Pet. 5. 5.

3. Quid autem superbius, quam ut assererem mira dementia, me id esse naturaliter, quod tu es? Cum enim ego essem mutabilis, & eo mihi manifestum esset, quod ideo utique sapiens esse cupiebam, ut ex deteriore melior fierem: malebam tamen etiam te opinari mutabilem, quam me non hoc esse, quod tu es. Itaque repellebar, & resistebas ventosæ cervici meæ, & imaginabar formas corporeas, & caro carnem accusabam, & *spiritus ambulans* nondum *revertebar* ad te: & ambulando ambulabam in ea, quæ non sunt, neque in te, neque in me, neque in corpore. Neque mihi creabantur à veritate tua, sed à mea vanitate fingeantur ex corpore: & dicebam parvulis fidelibus tuis, civibus meis, à quibus nesciens exulabam. Dicebam illis garrulus, & ineptus: cur ergo errat anima, quam fecit Deus? & mihi nolebam dici: cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilem tuam substantiam coactam errare, quam meam mutabilem sponte deviasse, & poena errare confitebar.

Psal. 77.
39.

4. Et eram ætate annorum fortasse viginti sex aut septem, cum illa volumina scripsi, volvens apud me corporea figmenta, obstrepentia cordis mei auribus, quas intendebar, ô dulcis veritas! in interiorum melodiam tuam: cogitans de pulchro & apto, & stare cupiens, & audire te, & gaudio

Ioan. 3.
29.

gau-

gaudere propter vocem sponsi, & non poteram: quia vocibus erroris mei rapiebar foras, & pondere superbiæ meæ in ima decidebam. Non enim *dabas auditui meo gaudium & latitiam, aut exultabant ossa, quæ humiliata non erant.*

Psa 1.50.
10.

N O T Æ.

- a *Tanta rei cardinem*) sapientiam & providentiam divinam, in qua omne naturæ rationalis & irrationalis ineffabile artificium, velut in Cardine vertitur.
- b *Per formas corporeas*) quas solas mente versabat, & veluti ruminabat: talia nempe, qualia per oculos carnis hauriebat, sive ut supra dixit, *verabat.*
- c *In illa unitatem, in ista quandam divisionem*) Vnit virtus voluntatem & appetitum cum recta ratione. Vitium ex discordia utriusque nascitur illamque causat; inde pax & bonum animæ: hinc malum & perturbatio. Cum vero S. D. malitiam ab inordinato voluntatis motu provenire nondum intelligeret, *substantiam malam* in homine constituebat, eique adversam *substantiam boni*, quam putabat esse frustum Dei, & *monadem*, sive unitatem appellabat: illam vero *dyadem*, sive duplicitatem, quæ incitaret ad iram in facinoribus, ad libidinem in flagitiis.
- d *Cum enim ego essem mutabilis*) ex hoc agnoscere debuit ac potuit S. D. animam suam non esse particulam divinæ substantiæ: Deus enim est immutabilis, anima vero mutatur, & fit ex deteriore melior, vel contra.
- e *Dicebam parvulis fidelibus tuis*) Catholicis humilitate parvulis, hac quæstione insultabat, *quomodo potest errare aut male facere anima, quam fecit Deus, cum sit verax & bonus?* Neque videbat se gravius à Catholicis ista quæstione premi, *Si tua anima est pars Dei, quomodo cum illa, & in illa errat Deus?* Sed putabat August. substantiam divinam colligatam substantiæ mali, coactam errare, quæ sponte errare non posset.

V. 1. 3. c. 8.

L. 3. c. 6.

V S V S.

Vere signatum est super nos lumen vultus tui Domine } Pfal. 4.7.
 Augustinus quamvis gravissimis involutus erro-
 ribus, agnovit tamen peccatum esse summum
 malum, ideoque substantiæ mali illud attribuit,
 contra vidit virtutem à summo bono officisci.
 Nulla itaque ignorantia excusatio nobis ali- Pfal. 36.
 quando proderit, nisi *declinemus à malo, & facia-* 27.
mus bonum.

C A P. XVI.

*Se Categorias Aristotelis, & omnes libros
 artium liberalium sine Magistro intelle-
 xisse: nihil tamen id sibi profuisse, donis
 Dei utenti male.*

I. **E**T quid mihi proderat, quod annos
 natus ferme viginti, cum in manus
 meas venissent Aristotelica quædam, quas
 appellant decem categorias: quarum nomi-
 ne cum eas Rhetor Carthaginensis magister
 meus, buccis typho crepantibus comme-
 moraret, & alii qui docti habebantur: tan-
 quam in nescio quid magnum & divinum
 suspensus inhiabam, legi eas solus, & in-
 tellexi. Quas cum contulissem cum eis, qui
 se dicebant vix eas magistris eruditissimis,
 non loquentibus tantum, sed multa in pul-
 vere depingentibus intellexisse: nihil inde
 aliud mihi dicere potuerunt, quam ego so-
 lus apud meipsum legens, cognoveram. Et
 satis aperte mihi videbantur loquentes de
 substantiis, sicuti est homo; & quæ in illis
 essent, sicuti est figura hominis; qualis sit &
 statura, quot pedum sit; & cognatio, cujus
 frater sit; aut ubi sit constitutus; aut quando
 natus;

natus; aut stet, aut fedeat: aut calceatus, vel armatus sit; aut aliquid faciat, aut patiat aliquid; & quæcunque in his novem generibus, quorum exempli gratia quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur.

2. Quid hoc mihi proderat, quando & oberat: *a* cum etiam te Deus meus mirabiliter simplicem, atque incommutabilem (illis decem prædicamentis putans, quicquid esset, omnino comprehensum) sic intelligere conarer: quasi & tu subjectus esses magnitudini tuæ, aut pulchritudini, ut illa essent in te quasi in subjecto, sicut in corpore: cum tua magnitudo & tua pulchritudo, tu ipse sis, *b* corpus autem non eo sit magnum, & pulchrum, quo corpus est: quia etsi minus magnum & minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset. Falsitas enim erat, quam de te cogitabam, non veritas, & figmenta miseræ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ. Iusseras enim, & ita fiebat in me, ut *terra spinas & tribulos pareret mihi*, & cum labore pervenirem ad *panem* meum.

Gen. 3.
18.

3. Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus, per me ipsum legi & intellexi, quoscunque legere potui? Et gaudebam in eis, & nesciebam unde esset, quicquid ibi verum & certum esset. *c* Dorsum enim habebam ad lumen, & ad ea, quæ illuminantur faciem: unde ipsa facies mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quicquid de arte loquendi & differendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de nu-
me-

meris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi: scis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & disputandi acumen, donum tuum est: sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat, quia *d* tam bonam partem substantiæ meæ, sategi habere in potestate, & fortitudinem meam non ad te custodiebam: sed profectus sum abs te, in longinquam regionem, ut eam dissiparem in meretricias cupiditates. Nam quid mihi proderat bona res, non utenti bene? Non enim sentiebam illas artes, etiam ab studiosis & ingeniosis, difficillime intelligi, nisi cum eis eadem conabar exponere: & erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur.

Psal. 18.

10.

Luc. 15.

4. Sed quid ergo mihi hoc proderat, putanti, quod tu Domine Deus meus veritas, corpus esses lucidum & immensum, & ego frustum de illo corpore? Nimia perversitas. Sed sic eram. Nec erubesco Deus meus confiteri tibi in me misericordias tuas, & invocare te: qui non erubui tunc profiteri hominibus blasphemias meas, & latrare adversum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani magisterii, tot nodosissimi libri enodati: cum deformiter & sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem? Aut quid tantum oberat parvulis tuis longe tardius ingenium, cum à te longe non recederent: ut in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas charitatis, alimento sanæ fidei nutrent?

5. O Domine Deus noster, in velamento
ala-

Psal. 62,

8.

Psal. 46. 4.

alarum tuarum speremus, & protege nos, & porta nos. Tu portabis & parvulos, & usque ad canos tu portabis, quoniam firmitas nostra, quando tu es, tunc est, firmitas: cum autem nostra est, infirmitas est. Vivit apud te semper bonum nostrum: & quia inde averfi sumus, perversi sumus. Revertamur jam Domine, ut non evertamur: quia vivit apud te sine ullo defectu bonum nostrum, quod tu ipse es: & non timebimus, ne non sit, quò redeamus, quia nos inde ruimus: nobis autem absentibus, monuit domus nostra, æternitas tua.

N O T Æ.

- a *Cum etiam te Deus meus, &c.*) S. D. erroribus liberatus, Deum prædicamentis contineri non censuit, ut hodie etiam philosophamur; tum quia finiti & infiniti infinita distantia, nec communis ratio est; tum quia Deus accidentibus nihil is subjacet, ut creaturæ substantiæ, in quarum Categoriâ, & Ordinem, illum redigere volebat Augustinus.
- b *Corpus autem non eo sit magnum & pulchrum*) apparet S. D. sensisse quantitatem & pulchritudinem, quæ fere in figura & colore consistit, re ipsa distingui à substantia. De Deo enim dicere licet, *tua Magnitudo & tua Pulchritudo tu ipse es*, non item corpus est sua magnitudo aut pulchritudo.
- c *Dorsum enim habebam ad lumen*) Dorsum animæ obliquo est, ut enim nulli in tergo oculi, ita obliquo nihil videt, nihil cogitat. Culpabilis hæc in peccantibus est, quia voluntaria: potius enim nolunt meminisse Dei, quam ut proprie ejus obliviscantur. *Facies vero animi memoria est, & consideratio.* Vtergo dorsum obvertens soli non illustratur in facie, quamvis illustrentur ea, quæ aspicit, ita peccator oblitus Dei, non illustratur radiis divinæ Sapientiæ: quamvis creaturas intelligat sapientissime conditas.
- d *Tam bonam partem substantiæ*) gerit se pro filio prodigo, quia ut ipse acceptam partem substantiæ

tiæ suæ, peregre decoxit cum meretricibus : ita Augustinus ingenium meliorem partem sui, prodegit in errores Manichæorum & fœdas libidines, in *longinqua regione peccati*.

V S V S.

1. Retudit S. D. suo exemplo fortiter superbiam eorum, qui ob ingenium aliaque dona superbiunt. *Nihil enim prodest res bona non utenti bene.* In ingenio & eruditione Augustini, qui nec Magistro eguit, hæresis & luxuria nidum invenerunt, quia male usus est nobilissimis Dei donis : non speremus nos Dei gratiam ob dotes Augustini donis longe impares, nisi puritate & probitate V. tr. 2. in Ioan. illis apud Deum pretium faciamus. Tam non æstimat Deus ista, ut S. D. existimet, *ideo Nathanaelem non cooptatum inter Apostolos, quia doctus erat.*
2. Non contemnendi sunt ingenio & doctrina parvuli, docto enim & ingenioso sine virtute, nihil prodest *res bona non utenti bene* : simplici vero & indocto, sed virtutis studioso, prodest virtus, *qua non potest uti male.* Meminerimus in tremendo iudicio, nullam Doctoribus nisi Sanctis, V. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. concessum iri honoris, aut præmii prærogativam.

